

diculo.<sup>278</sup> Contra vero doctores etiam ex animo concordiae seruire oportet commendare ecclesias et doctores alterius partis et vulgo iniustas persuasiones, quas de illis conceperunt eximere. Potest etiam prudens concionator auditoribus instillare. Etsi de coena exorta sit leuis quaedam dissensio, tamen  
 5 eam tanti non esse, vt communem concordiam turbari expediat. Sed Deo et piaie synodi diiudicationi euentum commendandum esse. Huic viae rectae et planae, si inniteremur, non dubium est Deo iuuante animos coalescere et aditum strui posse ad concordiam constituendam, quae multis gentibus salutaris et Deo imprimis grata futura esset. Nec impediri nos patiamur, etsi fortassis  
 10 vtrobique quaedam inuenientur vomicae, quae sanationem non admittent, tales tamen pro[96:]gressu temporis, putredine et illuuiena consumptae eadent nos modo operam demus, ne malum contagione serpat longius.  
 Exposui meam sententiam de compositione, quae, etsi non omnibus placebit, tamen nihil eo est deterior, – πλείονες γὰρ οἱ κακοί – gratiorem vero Deo et  
 15 honestiorem apud pios eam esse certo scio quam classica illorum, qui tanquam flabella subinde hoc incendium augent et partem vtramque inter sese committunt, vt inuicem grassentur in nos immani laniena sicut curetes et Aetoli post captum aprum Calydonium donec ex mutua rabie vterque coetus fatalibus poenis et tenebris opprimetur.<sup>279</sup> Nam Deo ita gubernante his ipsis,  
 20 qui nunc facilem sibi promittunt victoriam deletis omnibus, qui contra audent mutire aut saltem gemere propter contumeliam Dei, progressiones rerum paulo post ostendent, verum esse hoc, quod ille vtramque fortunam expertus dixit: „Nusquam minus euentus quam in bellis respondent.“<sup>280</sup> Omnino enim vt quidam vir sanctus dixit, etiam in hac caussa tandem vincet  
 25 veritas. Interea omnes pij et sanabiles nobiscum ardentibus votis orent propitium Deum, faciat, vt summus noster pontifex Filius Dei ex suo capite in suas genas, vestimenta et fimbrias, id est in nos, qui sumus membra ipsius, effundat fragantia balsama Spiritus sancti, qui in nobis excitet lucem agnoscentem Deum sine tenebris et veros atque salutes motus congruentes cum  
 30 aeterna norma mentis suae et corda nostra mutuo copulet vera et ardenti dilectione, vt omnes simus et sonemus vnum in ipso. Amen.

Τέλος.<sup>c</sup>

<sup>c</sup> Τέλος. GENEVAE, Excudebat Eustathius Vignon. Anno 1574.: B.

<sup>278</sup> Act 24,16.

<sup>279</sup> Kalydon war eine Stadt in der griechischen Landschaft Aitolia. Vgl. Daniel Strauch, Art. Aitolia, in: NP 1 (1996), 372–379. Zur mythischen Gestalt des kalydonischen Ebers und seiner Erlegung vgl. David Strauch, Art. Kalydon, in: NP 6 (1999), 211f.

<sup>280</sup> Titus Livius, Ab urbe condita XXX, 30, 20, hg. v. Patrick Walsh, Leipzig 1986 (BSGRT), 130.